

De CHIANTZOLLI, seu planta in humore intumescente. Cap. XXVI.



Chia.  
Salvia dian.  
La. clava.  
Labiata.  
Salvia  
polygona

CHIANTZOLLI ALIA.

Bellaris.

Potiones nutritivæ.



Exponimus & Chiantzollia aliam, cuius flos ruber, & folia in anteriori parte latiora, ut in Pyrola videre licet.

**P**LANTA Chiantzollia vocata, herba est folia Hederæ proferens. caules quadrangulos, & sesquidodrantales. flores candidentes, exiles, vasculis oblongis contentos. in quibus demum semen generatur, atque continetur, candens, compressum, planumve Lentium forma. radices verò furculosas. Olet Thymum nostratem, sed è vestigio odor elanguescit. Folia, & radices omnino videntur expertia caloris, aut cuiusdam adstringentia, & amaritudinis. Semen verò frigidum est, aut caloris temperati, non sine quadam lubricitate, & saliosa natura. quod deorari solet matutino, ac postremo vespere, aduersus febres. ac dysenterias, ceterasque defluxiones, ex aqua vnciaz vnius pondere miro successu. dum tamen ventri bis, aut ter applicetur emplastrum, constans araneorum telis, oleo rosaceo, & pariter infixis aliquot ouis. Parantur ex eo, Saccharo aut Mellè condito, atque interdum expurgatis Amygdalis, Melonum, atque aliarum plantarum seminibus, pergrata quadam generabellariorum, potionumque refrigerantium, qualis est Chiantzollatollis vocata, extinguendis febrium caloribus aptissima, ac bonum, gratumque præbent alimentum. quibelli tempore maximi habebatur. quo si facium secum plenum illo ferrent, nihil, quod nutriendo esset commodum, sibi arbitrabantur deesse. Miscebant verò id semen in farinam redactum Maizio torrefacto, atque contrito, ut diutius integrum, & immune à corruptione seruaretur. Cumque exposcebat occasio, positionem parabant, cui interdum succum Melignem expertum vix Mellis nostrati cedentem, & paululum Siliquastrisolebant admiscere. Vbique fata hæc planta prouenit, locis præcipue cakisirriguis, & aruosis.

Folia Hederæ similia, longitudinem habent quatuor digitorum, latitudinem verò trium.


De

De COLTOTL. Cap. XXVII.

Salea lagopus De Millæ, solum oliva

**C**OLTOTL herba est caules fundens flavos, ac tenues, folijs refertos Securidacæ, ac flores in postremis stipitibus proferentes, capitulorum forma, purpurescens ex pallido. radicem pallentem, longam, furculosamque. Mexici nascitur, alijsque montanis, & temperatis locis. Calida constat, aut temperata natura, & Glycyrrhizæ penè odore, ac sapore. quò fit, ut si cum *Axixilacul*, & *Chichi xibuitula*, dolenti alicui loco obflatum, radix apponatur, aut frigus, illum statim à dolore reddat incolumem, splenemque; admota minuat. per se verò semiunciaz pondere deuorata, pectus leniat, & refrigeret, exanthematis optulerit, appetentiam excitet, atque euocet vrinam.

De COZTICPATLI ACATLANENSI. Thaliastro Mexicano. Cap. XXXIX.



**H**ERBVLA est Cozticpatlis Acatlanensis Adiantho similis, folia penè Adianthi ferens. caules tenues. flores pilosos, paruos, exilesque. radices verò fibris fimiles. videtur ad species *Cocozic* pertinere. Nascitur iuxta flumina, & loca humentia calidarum regionum, præcipue *Mistica inferioris*. Radix est dulcis, & amaritudinis cuiusdam particeps, subtiliumque partium. Ius decocti radicum epotum vrinam euocat, & renum calorem, & dolorem mitigat. fluxum verò puerozum cohibent radices epotæ ex aqua semiunciaz mensura, & saccus medetur oculis:

Et si Adiantho sit similis, tamen Thaliastro annumeranda est. nec enim flores, aut semina, separatim in Capillaribus conspiciuntur. In hac itaque herbula non solum flores pilosi, foliola bina ex aduerso posita, semen, sed & sapor dulcis planè idem qui & in Thaliastro minore percipitur.

Alia



## COZTICPATLI II.



CVIZTAPAÇOLLIN.



Alia Cozticpatli secundo loco exhibetur, cuius radices crassa Amerihisti colore, ex quibus multa fibra lutea exoriuntur. caulis luteus. ramis enascuntur bina exopposito folia ex viridi lutea rubris venis pererrantibus. fructum non appinxit.

De CVIZTAPAÇOLLIN, seu Nido lacertarum. Cap. XXIX.

CVIZTAPAÇOLLIN herba folia fert Mori, terna. purpureos caules, tenues, & interceptos geniculis. flores rubeos, & paruos. semenq; simile Phaseolis. radicem verò digiti crassi udine, fibratam. Prouenit apud agros Tlachmalacacenses. Radix Glycyrrhizam sapore imitatur, atinetque ad temperiem, aut moderatum calorem, cum humiditate, & lenitione. Ius decocti radicum, aut ipsæ radices deuorata conferunt his, quibus venter tument, aut aqua inter cutem molesta est, qualibet mensura. illinitur eadem affecto loco quotidie, donec ægrotus restituatur sanitati.

In figura folia Phaseolo similia depinguntur.

De OCELOXOCHITL. Herba Lætificante. Cap. XXX.

OCELOXOCHITL, quam alij Teyolchipahuac, seu Exhilarantem cor, vocant, herba est Lini folia ferens, longa, & angusta, quaterna quinavè, per caulium interualla ordine disposita. & in summo stiloculos purpureos, & obrotundos. radicem verò fibratam. Nascitur Tlalmatalci frigida regione. mærorem cordis, maxime a Pharmaco dicitur radix remouere, semiuncia pondere ex aqua bis die deuorata, aut per se, aut cum Nextamalli.

De



De TATACANALTIC; Chamæbalano Mexicano.

Cap. XXXI.

HERBA est Tatanaltic folia Saligna fundens. flores modicos, atque purpureos. radicem longam, sensimque gracilescens: cui per interualla appendent Orbiculi Nucibus iuglandibus pares. Nascitur in collibus Tacapichtla, & Ocotuici. nec desunt, qui Tecanquiliti vocent. radix dulcis, & pauci caloris, propinatur ad euocandam vrinam, & febres contemperandas. vetustisque plagis, læuigata & inspersa medetur.

Caulis & folia, Puniceo ferè sunt colore stiloculi Erica similes; radices verò Chamæbalano assimulantur, cuius speciebus fortè annumerari potest.

De TLALAPALTIC, seu Cocoztic, seu Tlalaubqui chioyantie, seu Chichiantic rubea Herba Pallida. Cap. XXXII.

TLALAVH QVICHYOYANTIC, quam alij Cocoztic, seu pallidam vocant, herba est folia fundens oblonga, ferrataque. caules insurgentes è radicibus, fibris similibus, multis, teretibusque, atque pallentibus, & Hellebori imitantibus formam. flores verò oblongos. candentes, forma canaliculorum, & fructus glandibus oblongis similes. Nascitur Temuacacensis agris, qui ad calorem spectant, necnon Tepuzcululle Misticæ inferioris, vbi vocant Tlalaubquipatli ob rubrescentem è pallido colorem. bibitur aduersus febres. miscetur Chichimecapatli temperandi illius caloris gratia. aduersus Variolas duarum drachmarum pondere deuoratur. inflammatis instillatur oculis, etsi nonnihil calida sit temperiei, & lenis cuiusdam naturæ particeps.



De



De TLALCHINOL XOCHITL.  
Venerea Medicina II. Cap. XXXIII.



TLALCHINOL XOCHITL,  
quam alij *Chianzoizolto* vocant, alij *Tecamachil* *achlarzin*, seu medicinā in ore sonan-  
tem dicunt, herba est radici innitens fibrata.  
ē qua multos caules fundit, binos dodrantes  
longos. & in eis folia per intervalla quatuor  
vnciarum oblonga, & parua, acruatim cohe-  
rentia. interiectis floribus modicis, oblongis,  
paruis, & ex albo purpurascensibus, permultis  
capillamentis luteis hinc inde exorientibus.  
Nascitur in planis, calidisq; locis *Tacapichila*.  
Adstringenti, dulciq; radix constat natura. at-  
que ita folia trita, & epota ē liquore aliquo ad-  
stringenti, aluum fluentem cohibent. radix,  
quæ subacris est, tusa, & duarum drachma-  
rum pondere deuorata, vomitum ciet, mede-  
tur tumoribus præter naturam, vlceribusque.  
Sūt qui *Cuatiliz patli*, quod venerē excitet, vo-  
cent. sunt & qui *Mecapatli*. ferūt namque, ius decocti eius morbo Gallico mederi.

De TLALLANTLACVA CVITLAPILLI, seu *Cauda parui Tlacuarzin*.  
Michuacana Diuretica. Cap. XXXIV.

MAS. I.

MICHV. AC. DIVRET. MAS. II.

*Raiz de Michuacan.*  
*Iponia?*



TLALLA.

MICHV. AC. DIVRET. MAS. III.



MICHV. AC. DIVRET. FOEMINA.



at *Peponi similis* in *Apocyno* fructus nunquam, sed *siliqua* duæ ex uno flore exorta.  
Quid si media inter *Cucumeraceam*, & *Apocyni* familias statueris?

De

TLALLANTLACVA CVI-  
Mas. TLAPILLI herba est, cuius

duæ reperiuntur species, mas nempe, &  
fœmina. mas folia fert Solani mucrona-  
ta, & iuxta cuspidem contorta. caules vo-  
lubiles. radicem verò longam, tenuem,  
fibratam, candentemque. Volubilis quo-  
que fœmina est, sed caule cinereo, & ge-  
niculato. folijs cordis figura, longè maio-  
ribus, ac latioribus. flore per hyemem  
candenti, & magno. fructuque oblongo,  
& ampliori, referto luteo semine, ac ob-  
ducto candida lanugine. eadem constat  
vtraque natura. Nascitur in calidis *Tlach-  
malacensibus*, *Quauhnahuacensibus*, & *Aca-  
tlipacensibus*, circa humentia loca, & fau-  
ces montium. Radix odore insigni ca-  
ret, sed initio dulcedinem quandam præ-  
fert *Glycyrrhizæ* similem, postea verò  
amaritudinis nonnullum sensum præbet.  
Calida vtrique, & humida constat tempe-  
rie. fœmiuncia illius ex aqua deuorata, vel  
per se vel addito *Siliquastro*, vrinam re-  
tentam pellit, extergitque vias renum, &  
vesicæ. Ius decocti radicum, febres euoca-  
to sudore finit, ac dolores corporis leuat.

En Michuacani medicamenti posterior  
classis. Plantas in ea habemus prioribus, ut  
sapore ita viribus mitiores; diureticas volubi-  
les ut indicatum superius. Imagines quatuor.  
Mas dicitur quæ primum locum occupat, cui  
& duas subsequentes adiunge. vltima fœmi-  
na sit. Mascula secunda maior est. Tertia cras-  
siori è caudice ere. Ea magis. Procumbit fœmina  
pluribus ab crassiori radice flexuosis ramulis  
erumpens: fructus paruo *Peponi* similis: Se-  
men luteum sericeis candidis filamētis appen-  
sis refertum. folia tamen bina ex aduerso ad-  
picta: unde ambigas cui præcisus plantarum  
generi adscribi debeant, nam lanugo illa ar-  
gentea, foliaq; bina *Apocynum* petunt, cum  
in alio nullo *Volubili* genere reperiuntur;



De TZONPELIC XIHVITL Nectarea. Cap. XXXV.



**H**ERBA est Tzonpelic xihvitl folia ferens Ocymi familia, forma & magnitudine, bina per caulis interualla, sed alijs minoribus ex eisdem exortibus procedentibus. caules teretes, ac tenues. florem candidum, longiusculo pediculo appensum, paruis, oblongisq; spondylis similem. radices verò capillatas, ac tenues. Nascitur in calidis, humidisque locis, iuxta fauces montium Panucensum. Huius herbæ folia adeo dulcia sunt, vt mel ipsum, saccharumque, & quacunq; alia dulcedine præstant, longè inferiora videantur. itaque in hac vna sola planta visa est natura periclitari, quantam dulcedinem posset rebus naturalibus impertiri. neque sua caret utilitate. nam febres sedant, folia deuorata ex aqua. tussim, ac raucedinem placat epotus succus, & appetentiam excitat.

Florum vnitorum figura, spicam vel lulum Typha refert. colore ex luteo in rubeum tendente:

De XOCHIPALLI Artemisifolia.  
Cap. XXXVI.



**X**OCHIPALLI herba est sex prolixa cubitos. foliaq; ferens sinuosa, magna, & Artemisifolia quadantenus familia. caules digitum crassos. flores Cempoalxochitl, sed paruos, & colore ex luteo rubrescentes. radices verò tenues, longasque. Nascitur passim in calidis, & est admodum vulgaris cognitio. Floris tantum est vsus. qui caloris est temperati, grati odoris, ac saporis, corroborans cor, vterinos pellens affectus, & vlcera, ac præcipuè oris curans. maxima utilitas tingendi lanas, ac rerum formas luteo colore exprimentis, sed qui vngat in rubeum. cuius gratia ex aqua coquitur, adiecto nitro, atque ita demum exprimitur succus, colorque, quo veluti pigmento vtuntur Pictores, & Fullones.

De

De ÇACANEL HAOTL CHVL-  
LVLENSI Anagallide Mex.  
Cap. XXXVII.



**H**ERBA est Çacanel haotl è radicibus furculosis cauliculos edens dodrantem longos, & in eis folia, & fructum Anagallidis. Prouenit in locis siccis regionis Chullulensis. radix est dulcis, & temperati caloris. eadem tusa resoluta ex aqua, ac instillata peni, dicitur vrinam euocare, eiusque meatus, tractis etiam lapillis, extergere.

De ÇEÇECPATLI ACATLA-  
NENSI Glycyrrhizæ æmula.  
Cap. XXXIIX.



**Ç**EÇECPATLI ACATLANENSIS, herba est, folia ferens multa, similia rutaceis, sed minora. radices longas, ac tenues, è quibus insurgunt caules. Nascitur in calidis, campestribusque locis, & præcipuè Mistice inferioris, vbi quidam vocant eam Charapuehari, alij Xoxopalli. nec desunt, qui Querambeni appellent. Radix est dulcis, adstringens, & moderatè calida. & tamen referunt, ventris tineas interficere, mederi dysenteria, scabiei, pustulæ, vulneribus, ictericis, vacuare bilem, & pituitam, ac dolorem ventris sedare, vncie vnus ponere epotatam.

Glycyrrhizæ, Ononidique, affine videtur hoc legumen, cum eodem constet sapore, viresq; purgandi habeat. radix eius lutea depingitur, flos verò purpureus.

X

De





De COZTIC MECAPATLI  
TILANCENSI.

Crista Galli Mex.

Cap. XXXIX.

COZTIC MECAPATLI herba est, folia habens obrotunda, parua, legumini, aut Numulariæ similia, caules sesquidrantem longos, & in summo flores spicatos, purpureos. radicem, verò fibratam, pallidamque. Nascitur in frigidis quibusque locis *Tilancensibus*. humida videtur constare natura, & moderatè calenti. morsibus serpentum, aiunt, illitam mederi, & quorumuis aliorum venenatorum animalium.

Radix longa, tenuis, lutea. in summo herbae flores spicati, purpurei. sed calyx luteus ut in *Crista Galli*.

De TLAOLLI, seu MAIZIO; deq; potionibus, & placentalium generibus ex eo parari solitis. Cap. XL.



QVID mirum, si circa Mundi primordia, atque illorum temporum rudimenta, nondum excogitatis rebus ad vitam commodè transigendam inferuituris, Cerere carentes, mirabili sanè inuento, & naturæ omnium parentis bono, tuendæ sanitati apprimè vtili, confugiebatur ad glandes, & Hordeum, quibus modò sues, & siqua sunt fordidiора animalia consuecunt saginari, quando nostra quoque tempestate alij Oriza, & Maizio, alij filiquis arborum quarundam, Iuncæ alij, herbæ noxæ, radice, alij *Ilantho*, & *Guaicis*, & (ut cætera, quæ innumera sunt, præmittam) alij *Tlaolli*, quod nostri Frumentum Indicum. *Haitiqi* verò Maizium appellant, vescuntur loco panis? Neque hoc dictum in vilipendium *Tlaolli* quod tantum abest ut vituperem, ut maximè laudem. mirerq; Hispanos rerum

exte-



exterarum diligentissimos imitatores, <sup>Laudes</sup> Maiz. atque translatores, & vtilitum inuentorum ampliatores, suis vsibus adhuc non accommodasse, & in suas oras transtulisse, excoluisseque frumentaceum genus, valentibus, & malè habentibus, si decenter eo vramur, impensè salubre, cultu facile, vberrimi & securissimi, in quouis ferè solo, prouentus, siccitatibus & alijs cæli terræq; iniurijs parum obnoxium, & citius satum, fortassis à fame, & mille, quæ inde emanare solent malis, vindicare posset. Sed ne cui miraculo sit, gètes esse, quæ sine tritici vsu vitam transigant, & peregrinis, ac penè ignotis cibus, iucundè & magna cum voluptate, & vtilitate viuunt, & vescuntur, quale est *Tlaolli*, de quo quoniam Mexici non solum apud Indos incolas, sed apud aduenas Hispanos, est maximus creberq; vsus, instituitur nobis modò sermo. *Tlaolli* ergo à nobis dictum Maizium (notior enim, & vulgatiор est hæc vox) à quibusdam recentiorum, Frumentum Turcicum, ab alijs verò consultius, Indicum appellatum, ut formam silentio totiam cognitam mundo transigam, multas habet differentias (siluestre enim, <sup>Differentie</sup> Maizium seorsim describetur) à colore, magnitudine, & mollitudine granorum, quibus spicæ ipsæ stipantur, desumptas. Reperias enim quamplurimas granis constantes albis, alias pallentibus, nigris multas, quasdam purpureis, nec paucas, flauis, cyaneis, & multorum colorum permixtis; demum alias quæ licet granis candentibus, ut priores constent, longè tamen ea habent maiora, teneriora. ac triplo maiori spicæ inhaerentia. Seritur Martio, in singulas <sup>Tempus</sup> scrobes, inter se passum vnum distantes, quaternis quinisque granis coniectis, & reponitur Nouembri, Decembri, & Ianuario, repastinato solo. etsi pro varietate regionum, quæ apud hos Indos, ob dierum noctiumq; pene æquale interualum, & varios Solis situs, modicis spatijs mirum in modum euariant, tardius citiusq; solet demessum trituratamq; recondi. Temperatum est, aut ad caliditatem, humiditatemq; paulisper decliue, substantia mediocri, concoctu facile, præcipuè his qui eo victu uti consueuere, non crassa, aut, veluti quidam opinantur, obstructi, & viscosa, quod vel Indis ipsis, qui ex eo pane in placentalibus formato viuunt, nec tamen obstructi, aut decolores conspiciuntur, periclitari licet. <sup>Vites</sup> in eodem affirmantibus, nullam in ventriculo grauitatem sentire post epulas, imò post paucas horas rursus ac si nihil ingessissent esurire, & magna audacitate, si adsit copia, repetere nutrimentum, nec vel de nomine solo ad aduentum vsque Hispanorum, lithiasim nouisse. quin quod nullus est apud Mexicanos celebrior ægritudinum acutarum, & commodior victus. qui etiam pitisanæ præfertur,



præferatur, quod mille experimentis confirmatum, comprobatumque, est. Celeriter siquidem, aiunt, coctum descendere, corpora quantum sat est, nutrire, nulum inferre grauitatis sensum, mollire ventrem, & pectus, calorem febrilem demulcere, præferim si puluis eius ex aqua permittatur brumali tempore gelascere, quo vti solent Chymistæ, vrinam euocare, viasque omnes extergere. Cumque mille videatur abundare commodis si apte paratur, nullamque noxam inferre, (nisi quis dicat, sanguinem, & bilis copiam generare, atque augere) non est cur consentiamus dicentibus, frumento esse calidius, difficile & concoqui & distribui, viarumque moliri obstructions. imò cur laudemus Mexicanos medicos, qui posthabita hordeacea pitifana, veluti ingrata gustui, & ægrotantibus inimica pulvis è Maizio, quas *Atolli* vocant, permixtas præferunt, huic genti consueta, & gratas, & quæ citra vllam noxam, suauem saluberrimamque; alimoniam præbeant. Quamobrem quot modis soleant parari, qua breuitate potero, tum fanis tum morbo aliquo affectis, deinceps sum edociturus. Modum placentularum ex eodem frumento parandarum differens in id quod sequitur caput. à *Nequatolli*, idest *Atolli*, cui calx sit permixta, ita vt aquæ sint partes octo, huius frumenti Indici sex, & calcis pars vna, sumens initium. tunc enim carbonibus pauculis impositum, in fictili oburato emollitur. quo tẽpore ab igne amouetur, lineis cooperiendum est, & tandem lapide, *Melatl* vocato, pinfendum. mox infictili decoquitur, donec cogi inspissarique incipiat. & eo tempore decima pars mellis *Mel*, de quo suo loco dicetur, permiscetur. tandiuque permittitur bullire, quandiu opus est, vt ad puluem, placentulæ vè Hispanicæ perueniat modum.

Refrigerat hoc, humectatque, in temperie calida & sicca affecta corpora. emollit pectus, plurimum nutrit, corroborat, impinguatque corpus extenuatum, & amissas vires instaurat, atque restituit. extergit quoque, & est ægrotantibus conueniens victus; quid quod tabidis exhibitum, pitifanæ hordeacæ gerit vices, & à grauissimis morbis resurgentibus manus auxiliares præbet? sunt qui adijciant Piper Indicum modica mensura, sed cum sunt beneualentibus propinaturi, & his, quos calida intemperies non infestat. ita enim gratus palato redditur, & venerem concitat. vtuntur eo alimento Indi quibusuis horis diei, seu valeant, seu ægrotent, sed potissimum mane, potum adijcientes. Cepit iam huiusmodi victus placere Hispanis, sed præcipue his qui ab Hispanis & Indis, seu Indis & Æthiopicis, aut Æthiopicis & Hispanis (eò turpitudinis deuenere mores, atque is factus est inter nationes tam varias circa vitia consensus) nati sunt parentibus. Parant aliud genus *Atolli*, quod vocant *iztac*, siue album, eodem quo dictum est modo. quamquam iam confectum, & in vasa, vnde sorbendum est, transfusum, vrenti conspergant *Chilli*, & vocatis *Tomame*, admixta insuper salis debita portiuncula. Solent verò tria hæc aqua dilui (est multus sat esse putetur ingenuus illis humor, vt debite inspergi queant) quin & acidum vocatum *Atolli*, quod *Xocoatolli* Mexicani nuncupant. Solent quoque parari permixta libra vna fermenti, seu massæ acida, indris omnis Maizij, quemadmodum diximus, emolliti, atque contusi. fermentum autem parabitur si capias Maizium nigrum, & conficias massam ex illo, quemadmodum dictum est, quatuorque, aut quinque diebus seruaueris, donec acescat, & tunc demum permiscueris, vt *Atolli* gratum quendam contrahat acorem, mox in vas transfusum,

Pulvis è  
Maizio  
Atolli.

Placentæ.

Nequatolli.

Confectio.

Vir es.

Iztae  
Atolli.

Xocoatolli.

Fermentum.

asum, sale, & *Chilli* conspergatur, atque ita demum ab ægrotantibus maritimo sumatur, vt corpus extergat, vrinam euocet, atque aluum expurget. Hoc eodem fermento, ex aqua frigida resoluto, atque epoto, corpus refrigeratur, aut per vehementem æstum, aut cum ex itinere aut labore, quispiam aut defatigatus sit, aut vehementius concaluerit, aut quando renes ita vruntur, vt lorium vrinarios meatus lancinet, atque exulceret. At album *Atolli*, quod Mexicani *Tol Atolli* vocant, ad hunc modum conficitur. Decoctum Maizium, ad eum qui dictus est, modum, sine calce tamen aut alterius rei admixtione, in pulum efformatur, permittitur refrigerescere, ac liquatur aqua, vt bibi commodè possit, veluti acetatum, de quo paulò ante sumus locuti. sitim hoc dicitur extinguere quomodolibet excitatam, atque præcauere, nisi plusquam oporteat epotaerint, à quo lædantur. at *Chilli Atolli*, *Atolli Chilli* permixto, vt nomen indicat, paratum, veluti præcedentia conficitur. sed cum semicoctum est, permiscetur *Chilli* in aqua eliquati ea portio, quæ gratum faciat ei qui eo est vsurus. Summo mane assumitur contra frigoris molestias, corroborat ventriculum, firmatque coctionem, pituitam adhaerentem extergit, & renes, quibusuis euacuatis impedimentis, emundat. Paratur & *Nechil Atolli*, seu *Atolli*, cui est *Chilli* permixtum, & mel, veluti reliqua genera, sed additis prædictis semicocto, ea portione, qua gratum fiat sorbituris. Calidum itaque innatum vigorat, ac venerem excitat. Est & aliud genus *Atolli*, *Ayocomez Atolli* dictum, quod est *Atolli* cum Fæcolis, fragmentisque; massis eiusdem Maizij. quod fit Fæcolis integris incoctis cum iam penè est confectum, & cum semicoctum fragmentis massis Maizij *Chil Atolli* permixtis, adiectaque herba *Epaçotli*, qua de suo loco. Nutrimenti id optimi & pergrati vicem præstat, & *Epaçotli* gratia, sanguinem à crudis humoribus expurgat. Potuisset *Chian Atolli* ad caput *Chian* differri, sed nomen ferè idem, adhortatur vt prædictis differentijs huius potionis, nunc primum interferatur. Paratur ex semine *Chian* torrefacto in patina, seu vocato *Comalli*, medio crite, ac deinde læuigato, atque ita in annuos vsus recondito. nam cum vti puluere opus est, permiscetur puluerem aquæ, agitantque donec eam densitatem nanciscatur, quæ possit palato placere. Sunt qui hauriant hanc potionem simplicissimam. sunt etiam qui prius *Chilli* inspergant. absque eo calorem febrilem extinguit, aut alia ex causa suscitatum. iter agentibus, ac præcipue feruentibus regionibus popularitur. & quibusuis alijs, qui eo nutrimento vtuntur libenter. Fit & aliud potionis genus dictum *Chiantzotzol Atolli*, ex semine quodam maiusculo, de quo suo loco, eodem modo quo præcedens parandum, & eodem vsus præstans. sed semen præparatum, celerime vetustatis solet sentire incommoda, nec adeo frequenti est in vsu. Paratur quoque *Michuanh Atolli*, idest *Atolli* sementiferum ex *Michibuanhiti*, de quo etiam dicato loco, torrefacto hoc semine, & redacto in læuorem, cumque; exposcit occasio, in aquam coniecto, ea mensura quæ nullam afferat spissitudinem, & densitatem, & inspergo melle *Mel* cocto (tria enim mellis genera, vt suo loco dicemus, ex eo conficiuntur) extergit renes, & vrinæ meatus, puerorum scabiem curat epotum, abstergente, qua pollet, vi. Et est frequens hæc gentibus cibus. Fit insuper ex Maizij parua quadam portione, maiori autem Siliquastris aridi læuigati que commixtis, addita herba *Epaçotli*, quod

Vires.

Tol Atolli

Chilli Atolli.

Nechil Atolli.

Ayocomez Atolli.

Chian Atolli.

Chiantzotzol Atolli.

Michuanh Atolli.



Tlatonil  
Atolli.

quod vocant *Tlatonil Atolli*, admotis igni simul omnibus, & donec herba perco-  
quatur, quod breui euenit, ingeriturq; calens. Et id potionis genus venerem exci-  
tar, euocat urinā, & menses, calefacitq; vniuersum corpus, & roborat. Sed neque  
silentio præterire decet *Tlaxal Atolli*. quod paratur ex Maizio contuso, & ef-  
formato in placentulas, tres digitos latos crassas, in *Comalli* vocato. ijs postquam  
probè decoctæ sunt, cortex diripitur, mica teritur, ac rursus in frigidam projici-  
tur, in patinam reponitur, agiturq; donec cogi incipiat. tunc extracta, atque  
in vascula cochleari digesta sorbitio epotatur, quæ deficientes vires mire reficit,  
ac fouet. Quin & è spica ipsa Maizij, decoctis granis vsta, atque in cineres reda-  
cta, *Tollo Atolli* vocatum parari consuevit. teritur etiam hæc, parsq; vna tribus

Yollo A-  
tolli.

Maizij partibus permiscetur. rursus verò teruntur similiter omnia, atque ex eis  
ad ignem *Atolli* paratur, postquam ad spissitudinem vsque percoctum sit, &  
polentæ densitatem. mox enim in vasa digestum, conspersumq; *Chilcozli* sor-  
beri solet, haud inutilis his qui nimio sanguine, aut flamma redundant. Fit

Quahnez  
Atolli.

etiam ex Maizio, & lixiuio vulgari percocto, quod vocat *Quahnez Atolli*, quo-  
niā ex arborum cinere conficitur. hoc ab eo extractum ablui expedit (in lixi-  
uio enim quandiu oportet manens emollitur, expurgaturque, & in insolitum,  
atque à cæteris longè distantem ita mutatur saporem) teritur postea, & vt reli-  
qua, decoquitur, donec iustam adipiscatur spissitudinem. atque ita demum de-  
uoratum expurgare dicitur sanguinem, neque aliud aut medicamenti, aut nu-  
trimenti vsum præbere. Sequitur *Izqui Atolli*, quod è torrido paratur Maizio,  
contusoque. sed cum iam decoquendi illud tempus est, Maizij decocti modicæ  
adijciunt portioni, & omnia tandiu agitant, quandiu opus est, vt iustam spissi-  
tudinem acquirant. & *Chilli* tandem insperso, potatur ab ijs qui ob cordis imbe-  
cillitatem, aut atræ bilis redundantiam, mærore plerumque afficiuntur. Est &  
*Vauh Atolli*, quod ex Blitis rubeis fit, ingeriturq; insperso melle. præterea *Mi-  
chiuauh Atolli*, quod ex *Michiuauheli* paratur, picturato nempe Blitorum genere,  
quod Symphoniam, à varietate coloris quidam vocant. De Polentæ verò, Pul-  
tiumq; generibus, quibus vsa est antiquitas satis dictum est ab alijs. nos enim,  
quæ nouo Orbi sunt familiaria, nec dum veteri satis cognita, atque perspecta,  
scribenda statuimus.

Izqui A-  
tolli.Vauh A-  
tolli.  
Michiu-  
auhti.

## De modo parandi panem ex Maizio. Cap. XLI.

**E**MOLLIVNT, eo quo diximus modo, Maizij grana, mox pinsunt,  
ac palmis vtrisque admotis efformant tenues, ac ambitus mediocrius pla-  
centulas, quas statim vt oportet in *Comalli* carbonibus coquunt imposito. & hic  
est vulgarior, frequentiorq; parandi panem ex Maizio modus. Sunt qui triplo,  
& interdum quadruplo maiores efficiant. nec desunt, qui & crassiores. sunt qui  
efformant globulos peponibus similes, & in dolia iuxta focum posita, conijciant  
decoquenda, permixtis interdum Faseolis, atque nonnulla voluptatē, ve-  
scantur; molles enim admodum sunt, concoctu faciles, & grati saporis. Alij hos  
in dodrantes vsque producant, & quatuor digitorum crassitudinem, admixtis  
Faseolis, in patinis seu *Comallibus* assantes. At Proceribus Indorum placentulæ  
parari

parari solent, ex colato Maizio, adeo exiles puræque, vt translucentæ penè sint,  
& à Papyro interpollatiore, tenuitate minimè vincantur. item orbiculi parui ex-  
colato Maizio, qui etsi crassi, tamen omnino videntur translucente. Verum hæc  
ad diuites tantum, Heroasq; pertinent. Nec est insuauis ille panis, qui *Baibacoa* pa-  
ratur, ac coquitur. Ij enim, quos *Chichimecas* vocant, gens fera, barbara, atque in-  
domita, à Mexicana Vrbe in Septentriones non plurimū recedens, ac per mon-  
tana campestriaque, pellibus tantum quasdam corporis partes tecti, errabunda,  
ac vaga, Scytharum more, aut brutorum pecorum vè, venaturque & aucupio,  
& quarundam syluestrium, ac sponte nascentium arborum fructu, vbi fors tulit,  
viuentes; cum carnes libet coquere, scrobes in ipsa terra effodiunt, mox ignitis  
lapidibus sternunt, medias collocant carnes, frumenti Indici massā obuolutas,  
ac demum similibus faxis, & terra obruunt, tandiū ibi manere permittentes,  
quandiū intelligunt sufficere exquisitè decoquendis. decoctas extrahunt, eisque  
& pane ad prædictum modum parato, non sine magna voluptate atque vtili-  
tate, vtuntur in cibis. Desluxit iam diū ad Hispanos Mexici degentes hic mos, &  
vt huius rei sumere possemus experimentum, nec nos aliquid lateret quod ad  
delicias, & gloriam gratiamvè palati spectare, posset. quid quod spicas ipsas  
torrefaciunt appositas patinis, aut incoquunt carnibus, & vtroque modo gra-  
nis iucundè vescuntur?

## De XOCOATL, seu aqua Maizij acida. Cap. XLII.

**S**OLENT etiam, ex aqua & Maizio iam emollito, ac in massam redacto  
per noctem simul manentibus, parare *Xocoatl*, seu aquam acidam, inde  
macuino tempore expressam, urinæ ardori extinguendo, ac calori. cui vis con-  
temperando mirabilis, si decem, plus minusvè, vnciarum pondere continuis ali-  
quot diebus ieiunio adhuc ventriculo epotetur. cuius rei admonendum lecto-  
rem è re mea fore quoque putauit. nec solum est vsus fructus. nam & culmi eius,  
arundinesvè torrefactæ, & redactæ in puluerem, Ophiasis egregiè medentur,  
cum *Oxtil*, seu resina miscantur.

De TRITICO MICHVACANENSI:  
Cap. XLIII.

**V**IDI apud *Michuacanenses*, nostras triticum, sed tanta natum vbertate,  
vt quæuis spica, ternas quaternasvè alias, veluti prægnans producat.  
quod non iudicari indignum hac historia. velut nec linum etiam Europeanum  
apud eandem gentem provenire, cuius nondum vsus nouerat.  
Polypermon hoc miræ fecunditatis Triticum, nostris quoque Europæis regionibus  
adportatum innotuit. solumque vberissimam messem præbuit. unde mirum sit, à  
nostris agricolis minus eorum propagari, quàm eius insignis multiplicis fructus vi-  
litæ postulare.